



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

53. An præter dictam licentiam requiratur quoque utilitas monasterii,
cujus Regulares ille membrum est, ad hoc, ut valeat assumi in Vicarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

l. 6. c. 13. num. 97. apud Ventrigl. *loc. cit.* item tenere videtur Bisignet. *ad decis. 4. Rotæ tit. de off. vicar. in antiq.* apud Sbroz. *l. 1. q. 39. num. 1.* Affirmativam e contra tenet Meroll. *loc. cit. num. 45.* apud Ventrigl. qui ait, hanc Merollæ sententiam esse probabiliorē; opinionem verò Sanch. esse omnino veram & securam in religioso ordinis Minorum. Item hanc affirmativam tenet Sbroz. *loc. cit. n. 4.* dicens hanc opinionem esse æquiorē & receptiorē. Citat pro ea Vantium *ubi supra num. 82.* Guido. Papam *decis. 563. num. 1.* in fine. Fundamentum hujus sententiæ ait esse, quòd ex quo Episcopus talem Vicarium toleravit, præsumptio est quòd canonicè & cum licentia Abbatis illum constituerit, & ob hujusmodi erroneam præsumptionem & publicam utilitatem sententia ab illo prolata valebit; quia ob communem errorem & publicam utilitatem gesta per erroneum Judicem sustentur juxta *l. Barbarius. ff. de off. Procons. & sic toleratus ab Episcopo habet jurisdictionem, & quidem ordinariam, ut Felin. in c. siscitatus. num. 5. de rescrip. ubi dicit, Ordinariam toleratum à Superiore habere jurisdictionem ordinariam.* Veruntamen non quærebatur, num in casu talis publici erroris, & erroneè præsumptæ licentiæ valerent acta talis Regularis; sed num ea valerent, etiam dum constat Episcopo eum assumentem aliique palam, cum non habere eam licentiam à suo Superiore.

Quæstio 53. Num præter dictam licentiam requiratur quoque utilitas Monasterij, cuius Regularis ille membrum est, ad hoc, ut valeat eligi ab Episcopo in Vicarium?

Respondet affirmativè Ventrigl. *cit. num. 55.* juxta generalem dispositionem *Cap. Monach. ib. 2. 16. q. 1. & c. 2. de postul. ubi disponitur, ad hoc, ut regularis valeat exercere officium, indirectè requiri duo, nempe licentiam Superioris, & utilitatem Monasterij; quam tamen utilitatem largo modo accipiendam, ita ut, dum inservit Episcopo Regulari, ea utilitas dicatur concurrere ex hoc, quòd vel sic negotia Monasterij facilius promoveantur, ait Ventrigl. ex Sanch. *in sum. tom. 2. l. 6. c. 13. num. 92.* qui, licet id restringat tantum ad servitium Episcopi loci, in quo est Monasterium; Meroll. tamen *loc. cit. num. 40.* putat esse verum, etiam si intra illum Episcopatum, in quo Religiosus est Vicarius, non sit Monasterium, modò sint ibi alia bona vel jura Religionis; eo quòd adhuc procedat ratio adducta à Sauchez.*

Quæstio 54. Num Parochus possit esse Vicarius Episcopi?

Respondeo negativè: (Saltem si sermo sit de longo tempore, seu ultra bimestre, aliàs concessum Parochis ad abessendum) Gonz. *ad regul. 8. cancell. Gl. 6. num. 255.* Garc. *de benef. p. 3. c. 2. num. 40.* Pirh. *ad tit. de Cleric. non resident. num. 16.* Ventrigl. *loc. cit. num. 54.* ego *in foro benef. p. 1. q. 386. n. 4.* contra Navar. *conf. 15. de Cleric. non resid.* quatenus docet Parochum etiam post Trident. posse de licentia sui Ordinarii ex causa justa, nempe ut sit Vicarius generalis, etiam alterius quàm sui Episcopi, etiam ad multum tempus abesse (quòd ipsum admittit Pirh. *loc. cit. num. 41.* dum alii idonei ad istud munus non adsunt) eò quòd Tridentinum jus antiquum permittens Episcopo ex gravi causa dare licentiam Parocho abessendi ultra duos menses, non abrogavit. Extant pro responsione nostra claræ decisiones

S. Congregat. Concilii *ad c. 1. sess. 23.* ejusdem Concilii, quas recitat Garc. *loc. cit. num. 42.* quarum prima sic habet: *Episcopus non potest uti operâ Parochi in visitatione, vel alio servitio sue Diocesis, nisi pro tempore permisso duorum mensium, &c.* Altera: *Non licet Episcopo suorum, vel etiam Cathedralis Ecclesia negotiorum causâ permittere, ut curati extra ipsorum curam manent, etiam constituto Vicario, &c.* Quibus declarationibus consonant Bononiense & Mediolanense apud Garciam *loc. cit.* Textus verò concedentes illam abessendi licentiam adscitis in servitium proprii Episcopi loquuntur solum de Canonicis, adeo que hi extendendi non sunt ad alios, maxime curatos; quia est materia damnosa Ecclesiæ & curæ animarum. Sed neque id (nempe quòd Parochus sit Vicarius Episcopi:) permitti posse ob consuetudinem aut paucitatem ovium, tradit post Garciam *loc. cit.* Meroll. *loc. cit. n. 61.* apud Ventrigl. qui tamen testatur, solere quandoque S. Congregationem concedere licentiam Parocho, ut valeat abesse à residentia per sex menses causa exercendi officium Vicariatus. Subjungit quoque, quòd licet prædicta vera sint, videre nos tamen in praxi in multis locis, in quibus Vicarius habet parvam occupationem, Parochum ejusdem urbis exercere officium Vicariatus, idque tolerari, ex quo cura animarum nullum recipit detrimentum. Quòd idem facilius dixero, ubi aliàs Parochus habet Saccellanos aliosque adjunctos, qui curæ animarum invigilent, eamque administrent.

Quæstio 55. Num Episcopus alius esse possit Vicarius generalis Episcopi?

Respondeo: Episcopos, quin & Cardinales posse esse Vicarios alicujus alterius Episcopi, supponunt Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. Archiep. num. 35. 39. & 68.* Mandos. *ad reg. Cancell. 24. de male promotis. q. 6. num. 13.* apud Sbroz. *l. 1. q. 44. num. 1.* contrarium apud eundem *num. 2.* tenentibus Milis. *in Repertor. V. Vicarius Episcopi.* Anton. de Pretis. *tr. de jurisd. Episc. c. 6. num. 43. in fine & aliis.* Et sane de Episcopo nullatenensi, seu actu non habente, & administrante Diocesim ullam aliam propriam, id certum est, ut habet praxis communis, quòd esse possit Vicarius tam in Pontificalibus quàm Spiritualibus, seu tota Jurisdictione Spirituali. Quin & teneri Episcopum talem Episcopum titulare, seu nullatenensem assumere Vicarium non tantum pro Pontificalibus, sed & pro reliqua Jurisdictione exercenda in Diocesi, ubi sunt populi diversarum linguarum & rituum, juxta *c. quoniam. de off. ordinar.* dictum est supra, de quo etiam vide Sbroz. *l. 1. q. 31. a. num. 16.* Verum de Episcopo, qui & ipse propriam Diocesim, illiusque actualem administrationem habet, meritò dubitari potest. Videturque eadem esse in eo ratio quæ est de Parocho; cum & ipse oves proprias habeat, quarum cura detrimentum patiat per servitium impensum alteri Episcopo in curandis ovibus illius: Et de tali Episcopo sentire videntur Authores illi paulò ante citati negantes, posse Episcopum esse alterius Episcopi Vicarium. Veruntamen & de tali Episcopo id expressè tenet Pignat. *Tom. 3. conf. 22. n. 1.* quòd possit minus Vicarii gerere saltem interea, quo operitur commodam occasionem transeundi ad suam Ecclesiam. Porò talem Episcopum assumptum in Vicarium alterius Episcopi non habere per hoc majorem potestatem quàm ceteri Vicarii, tradit Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 9.*